

Ecclesia; hoc enim proprium nomen est huius sanctae et matris omnium nostrum. » Pacianus epist. 1^a ad Sympronianum redarguentem appellationem *catholicae*, monet ideo eam usurpari ut a sectis ceteris discernatur Ecclesia, hancque appellationem ex usu veterum probat, subditque: « Christianus mihi nomen est, catholicus cognomen: illud me nuncupat, istud ostendit. » Hinc Augustinus contr. Faustum L. XIII, c. 13. advertit praemonuisse Christum « ut non audiantur illi qui ad religionum scissuras traducunt dicentes: *ecce hic est Christus, ecce illic*, partes enim ostendunt; cum illa civitas supra montem sit qui factus est mons magnus ita ut impleret universam terram. » Quocirca consequitur ut quicumque post Apostolorum praedicationem non ostendit Ecclesiam Christi ubique diffusam, non ostendat Ecclesiam Christi. In qua argumentatione Patrum adversus haereticos se prodit manifeste iste conceptus quod vera Ecclesia semper sit et debeat esse catholica. Quae quidem doctrina evidens, ut puto, fit ex disputatione Augustini cum Donatianis. Hi enim asserebant veram Ecclesiam, quae antea catholica actu fuit, sua aetate ad minimam partem orbis esse redactam. Iam vero ex hoc ipso quod eorum secta tunc catholica actu non esset demonstrat Augustinus eam non esse veram Ecclesiam Christi. Neque ex eo arguit tantum quod eorum secta uno angulo orbis esset conclusa, sed ex eo quod universum orbem non occuparet; talem enim contendit debere esse Ecclesiam Christi. Atqui si fieri posset ut vera Ecclesia desineret actu esse catholica, argumentatio Augustini falso supposito laboraret, nihilque efficeret. Et tamen Augustini demonstratio omnibus catholicis semper probata fuit. Verum est ergo et catholicum quod Augustinus supponebat catholicitatem debere quovis tempore Ecclesiae verae competere. Quod et supponebat Epiphanius Haer. LXI, n. 2. ita arguens: « Ergone Ecclesia quae ad utrosque terminos terrarum porrigitur, excinditur nec amplius in omnem terram exivit sonus eorum et in fines orbis terrae verba eorum: nec illud valet quod a Servatore dictum est: eritis mihi testes ad ultimum terrae? »

Porro symbolica professio fidei est ut Ecclesiam credamus *catholicam*; haec professio in pluribus formulis symboli, et in symbolo nicaeno ceterisque sequentibus invenitur. Quid vero hac appellatione significetur constat ex Patribus, qui catholicitatem propriam et nunquam Ecclesiae verae defuturam praerogativam se habuisse monstrarunt. Idcirco ea professione fidei quemadmodum credimus Ecclesiam non solum quae fuit et erit sed et praesentem, ita credimus Ecclesiam non tantum quae fuit, aut erit, sed et praesentem esse catholicam.

III. Cum catholicitas esse nequeat nisi sit una eademque societas ubique existens, neque idcirco esse poterit sine principio unitatis,

ideoque catholicitas Ecclesiae nequit esse sine principio suae unitatis quod Christus instituit. Hoc autem est potestas ipsa Ecclesiastica in Apostolis a Christo instituta, ut iam patet ex superius dictis. Ergo seorsim ab hac potestate, deficiente formali catholicitate, vel nulla est reapse catholicitas, vel non ea est quam Christus esse voluit. Idem rursus principium formalis catholicitatis est principium quoque fecunditatis Ecclesiae; solis enim Pastoribus, Doctoribus et sanctificatoribus a se missis Christus suam perennem assistentiam in praedicatione verbi et propagatione Ecclesiae promisit: quapropter sola illa Ecclesia quae obedit ministerio a Christo instituto catholica esse potest.

Nota. Licet facta hypothese quod Ecclesia quae actu catholica fuit, per accidens aliqua aetate ad parvum numerum coarctata, adhuc ea dici posset esse Ecclesia catholica, h. e. esse eadem ipsa Ecclesia quae actu catholica fuit, et iure semper catholica manet (quae videtur esse sententia Bellarmini De Eccl. L. IV, c. 7. post alios) tamen ex dictis negandum esset tum Ecclesiam esse catholicam eo modo quo Christus voluit, qui modus in eo est ut actu semper Ecclesia sit talis, non solum sit ea quae talis fuit aut esse potest et debet.

§. XXVI.

Proprietatibus Ecclesiae ea connumeranda est ut sit Apostolica, h. e. ab Apostolis instituta, ab Apostolorum successoribus, qui nedum materialiter sed formaliter tales sint, ita regatur ut ad Apostolos rursus, interrupta nunquam Pastorum successione, eius auctoritas revocetur.

I. Triplici ex capite dicitur Ecclesia *Apostolica*, ratione originis, quatenus est ab Apostolis profecta; ratione doctrinae quatenus proficitur fidem ab Apostolis traditam; ratione ministerii seu regiminis, quatenus regitur et pascitur ab iis qui continuata serie sunt successores Apostolorum. Si hoc tertium adsit, habentur et duo priora: nam adest certe origo apostolica, cum series Pastorum succedentium ab Apostolis inceperit: adest et doctrina Apostolica, quoniam seriei continuaee successorum Apostolorum promissa est infallibilitas. Verum ut haec adsint necesse est ut illud tertium existat non tantum *materialiter*, sed et *formaliter*; sit nempe formalis successio Pastorum. Successio materialis est mera series successiva Pastorum seu Episcoporum non interrupta usque ad Apostolos vel aliquem ex Apostolis ex quibus inceperit: successio formalis est haec series quae praeterea potitur auctoritate ab Apostolis derivata in singulos successo-

res; hac enim formaliter constituuntur successores, quorum proinde singuli auctoritatem ab Apostolis derivatam accipiunt ab iis vel ab eo qui eandem auctoritatem actu obtinent et communicare aliis possunt: sic enim formaliter fit ut auctoritas per successionem perseveret. Utraque successio necessaria est, nec altera sine priora esse potest: prior tamen notior est; altera autem tum cognoscitur cum vera Ecclesia cognoscitur. Quia vero heic de proprietate agimus, eam integre spectamus et vindicamus Ecclesiae. Omissa speciali disputatione de Apostolice ratione originis et doctrinae, quam Socii et Protestantes non negant, probamus Apostolicitatem ratione ministerii, quam iidem inficiantur, contententes quod semel ac Verbum Dei in mundo per Apostolos praedicatum est scriptisque consignatum, quisquis illud intelligit facultatem habeat illud alios docendi, coetusque fidelium colligendi qui sint Ecclesia Christi.

II. Sane 1^o requiritur successio materialis. Etenim Christus instituit ministerium Apostolicum, illudque perpetuum esse voluit: ecce ego inquit, vobiscum sum omnibus diebus etc. Atqui non foret illud perpetuum, si ministri Ecclesiae non essent continuata serie successores Apostolorum: ergo. Item Ecclesia una esse debet eademque semper. Unitatis autem Ecclesiae principium est ministerium a Christo institutum; ergo unum ministerium semper esse debet in Ecclesia: oportet ergo ut eo ministerio Ecclesia regatur quod Christus primitus Apostolis commisit; id autem fieri nequit nisi regatur semper per eos qui continuata serie ab Apostolis derivent; si enim per alios regitur qui ad Apostolos referri nequeunt, regitur reapse eo ministerio quod a se incipit, non eo quod Christus instituit: multiplex proinde esset auctoritas, et Ecclesia una esse desineret, sed multiplex evaderet multiplicato principio unitatis. Quocirca etiam liquet quod series successorum nunquam interrumpi debet, si enim aliquando desinit, cessat ministerium illud quo Ecclesia regenda est, cessat principium eius unitatis: ideoque cessat ipsa Ecclesia; si autem aliquando cesset Ecclesia, non amplius instaurari potest; principium enim eius efficiens est ministerium Apostolicum docendi, regendi, sanctificandi, quod in hac hypothesis non amplius esset: ministri autem a se ipsis nasci non possunt, quia ministerium debet esse Apostolicum et ut sit Apostolicum, per traducem successionis derivandum est: « Si contaminabantur (boni consortio malorum), iam tunc (Cypriani aetate) non erat Ecclesia; respondete: unde huc existis? unde exstitit origo Donati? ubi baptizatus, ubi ordinatus? » ait Donatianis Augustinus De Baptismo L. II, c. 6.

2^o Haec autem successio *formalis* esse debet. Haec enim est vera successio, ita ut materialis sola non sit successio nisi specie tenuis.

Sane Ecclesia regenda est, ut diximus, semper ea auctoritate eaque sola, quam Christus instituit; auctoritas enim in Ecclesia est supernaturalis, quae a solo Deo proficisci potest, atque ut hac auctoritate regatur perpetuo Ecclesia, existit perpetua series successorum: oportet ergo ut auctoritatem illam eandem successores mutuentur, quam Apostoli obtinuerunt. Ut autem qui succedit auctoritatem obtineat, oportet ut eam accipiat ab iis vel ab eo qui derivatam in se ab Apostolis actu obtinet, eamque communicare potest: nam nec ille a se ipso eam acquirere potest, quia tunc non succederet: nec potest eam mutuari ab illo, in quem ab Apostolis non sit derivata, quia tunc non acciperet auctoritatem Apostolicam; nec satis est quod eam dicatur accipere ab eo qui aliquando illam habuit, quia ipsa amitti potest: nec satis est quod dicatur eam accipere ab eo qui eam habet, sed communicare nequit, quia tunc reapse acciperet nihil. Ergo. Haec autem est successio formalis. Nimirum ut quis in Ecclesia auctoritatem habeat, requiritur missio (Rom. X, 15. coll. 1. Tim. V, 22. 7; Tim. II, 2; Tit. I, 5): mittere vero nequit nisi is qui et auctoritatem Apostolicam actu obtinet, eamque communicare potest: ergo ab eo accipienda est auctoritas: ergo successor formaliter succedere debet. Qui igitur sic succedunt, ii solum possunt vere dici successores Apostolorum; quia hi soli obtinent auctoritatem eam quam a Christo Apostoli acceperunt.

Necessitatem Apostolicae successionis Maiores nostri luculenter demonstrarunt; nam eam ut tesseram habuerunt verae doctrinae, quae non nisi in Ecclesia esse potest. Ita Tertullianus De Praescript. c. 32: « Ceterum si quae haereses audent interserere se aetati apostolicae, ut ideo videantur ab Apostoli traditae, quia sub Apostolis fuerunt; possumus dicere: Edant ergo (haeretici) origines Ecclesiarum suarum, evolvant ordinem Episcoporum suorum ita per successiones ab initio decurrentem ut primus ille Episcopus, aliquem ex Apostolis vel Apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseveraverit, habuerit auctorem et antecessorem. Hoc enim modo Ecclesiae Apostolicae census suos deferunt. » Hinc praeterea catalogos successionum accuratissime servabant, ut veram Ecclesiam veramque traditionem tuerentur: « Habemus, ait Irenaeus L. III, c. 3. enumerare eos qui ab Apostolis instituti sunt Episcopi, et successores eorum usque ad nos, qui nihil tale docuerunt. » Et Optatus in controversia de vera Ecclesia provocat ad successionem Romanam, cuius singillatim Episcopos usque ad suum tempus recenset L. II, c. 2. Ita Augustinus in Psal. contra partem Donati. Nec obest huic successionem quod requiratur ordinatio eaque valida, cuius tamen valor certus non est. Nam etsi certus non sit in singulis, attamen certus

est in universo coetu (§. X): iurisdictio vero haberi quoque potest sine caractere episcopali.

Successio autem quam necessariam Patres praedicabant, non est tantum materialis sed formalis. Inde enim arguebat Cyprianus epist. LXXVI: « Ecclesia una est, quae una et intus esse et foris non potest. Si enim apud Novatianum est, apud Cornelium non fuit. Si vero apud Cornelium fuit, qui Fabiano Episcopo *legitima ordinatione* successit, Novatianus in Ecclesia non est: nec Episcopus computari potest *qui evangelica et apostolica traditione contempta, nemini succedens a se ipso ortus est.* Habere namque aut tenere Ecclesiam nullo modo potest qui ordinatus in Ecclesia non est.» Et Nazianzenus Orat. in laudem Athanasii n. 8. distinguit inter successionem nomine tenus et veram realemque successionem. « Neque enim qui per vim irrupit, successor habendus est, sed qui vim perpressus est, nec qui leges violavit, sed qui legitime creatus est, nec qui contraria dogmata tenet, sed qui eadem fide praeditus est, nisi quis fortasse ita successorem dicat, quemadmodum morbum sanitati et tenebras luci et tempestatem tranquillitati et mentis alienationem prudentiae succedere dicimus. » Et sane inter schismaticos et ab Ecclesia alienos Episcopi quoque computati sunt, quamvis Sacramento ordinis initiati, et suffecti in locum eorum qui decesserant: quia nempe non legitime vocati, non missi a legitima auctoritate, quia, ut ait Cyprianus De Unit. Ecclesiae « nemine episcopatum dante, Episcopi sibi nomen assumunt. » Quocirca maxima cura adhibita semper fuit in Ecclesia ut formalis successio esset in tuto. Huc enim 1^o spectant canon Apostolorum 4^{us}, et Nicaenus 2^{us} praecipientes ut electio Episcopi ab Episcopis Provinciae fieret, firmitatemque electioni Metropolitanus tribueret. Huc 2^o spectat usus Synodiarum litterarum quas Episcopi electi primarum Sedium ad suos collegas ac praesertim Romanam Sedem mittebant Fidei quoque suae professionem edentes, ut constaret eos esse in communione Ecclesiae catholicae, eorumque nomina in diptycha referrentur. Huc 3^o spectat confirmatio electionis Episcoporum primarum Sedium quae ab Episcopo Romano fiebat, cuius exemplum suppeditat Damasus ep. V. ad Ascholium, Leo in causa Anatolii epist. CIV. et Simplicius in causa Ioannis electi Episcopi Alexandrini ep. XVII (cf. Leonem IX epist. ad Petrum Antiochenum), qui quidem primarum Sedium Episcopi ceteros Episcopos sibi subditos olim confirmabant; ut ex Innocentii epistola constat XXIV. ad Alexandrum Antiochenum Episcopum n. 1. Cf. pro aetatibus sequentibus Humbertum Cardinalem Silvae Candidae Adv. Simoniacos L. III, cc. 10 et 11 disputantem contra *investituras* quas sibi seculares Principes in Ecclesiae ministris constituendis usurpabant.

Et sane ex hac Ecclesiae proprietate, ut Apostolica scilicet esse debeat, necessario consequitur Principibus ius nullum competere in constituendis Episcopis ceterisque Ecclesiae ministris. Qui enim ab his constituerentur, auctoritatem Apostolicam non acciperent, neque essent idcirco successores Apostolorum. Etsi vero Principes non sibi arrogent ius instituendi ministros Ecclesiae, sed tantum id agant ut libertatem Ecclesiasticam in electione et institutione eorum impediant; peccant primum contra libertatem Ecclesiae quae ab ipsis in hac re prorsus independens est (§. XVIII); tum adversantur quoque Ecclesiae Apostolice: Episcopi enim sic invita Ecclesia electi nequeunt in numero haberi successorum Apostolorum, cum apostolicam auctoritatem censendi non sint accepisse ab iis qui eam obtinent et communicare possunt. Hinc huiusmodi investiturarum abusus eo per se spectabat ut universam Ecclesiam prorsus subverteret: Ecclesia enim non est quae non sit Apostolica.

Hactenus tradita satis esse arbitramur ut distincta notio Ecclesiae Christi habeatur, quae pro sequenti tractatione requiritur. Si quaestionem desideras de notis, eam dabimus post exactam sequentem tractationem: primam enim notam censemus esse ipsum Primatum Petri eiusque successorum.

FINIS PROLEGOMENI.